









1729.

- 1<sup>a</sup>-<sup>b</sup> Barthellus, Gott. Christianus : De iure viarum publicarum . 2. exempl.
2. Barthellus, Gott. Christianus : De paucis clericorum carmineque prescriptiōnēs .
3. Barthellus, Gott. Christianus : Decadēm thesism⁹ fud. liam . . . facultas .
4. Bergerus, Dr. Gulielmus : De Crypti oratione
5. Cormons, Franciscus Carolus : De provisatio[n]e ex iure fœderis Germanico .
- 6<sup>a</sup>-<sup>b</sup> Bellius, Charles Ladv. : Puteal Libris et antiquitate cratam . 2. exempl.
7. Kemmerichius, Hieronimus Romanus : De natura et ratione divisionis rerum in rebus divinis et humanis pars illarum quae in sacra religione et sanctis .
8. Krausius, Dr. Gotof : De eo, quod iustum est circa testes in possessorio commerciorum

1729.

9. Kraenius, Ich. Gar�der: Decanis conuentu  
ciem excusantibus.
10. Kraenius, Ich. Gar�der: Disertatio circa jura  
et mores reservatorum ratiocinum proponens  
Mediocrinem. utroq; in Auszüge des Bauern-  
Linde.
11. Leyserus, Augustinus; Birinus . . . jure consulto  
. . . ad orationem saltem . . . invicto  
accimil de ficta obligacione erga probiam  
prefatur.
12. Laescher, Martinus Gotthelff: Med. Tabernae  
de inventione remediorum.
13. Mencklen, Grph. Ludo, Ord. iuridicis. — Pro  
Decanis: lectori benevolo s. p. d. (ad obser-  
vationem sollemni Christopori Henrici Fockers  
invitat.)

14 Menckes, Gottfr. Ludovicus: Ordinis iuridico.

Proteccans: lectione generali s. p. 2. (ad  
Disputationem Christiani Gottfridi Schaeuenbe-  
rii innotescit.)

15 Menckes, Gottfr. Ludovicus: Ordinis iuridico.

Proteccans: (ad Disputationem Gottlieb  
Huetius Pippingerianotest)

16 Menckes, Gottfr. Ludovicus: Ordinis iuridico.

Pro. Decanus: ad Disputationem volumen  
Augusti Gottlobi Minniorum,

17 Menckes, Gottfr. Ludovicus: Dissertatio,

qua singulare quaedam caput doctrinae  
de jure iurando in specie de iuramentis  
minorum et impulerum. . . defendet.

18 Menckes, Gottfr. Ludovicus: Dissertatio . . . de obli-  
ligatione mariti ex delicto uxoris negotio in pro-  
moto iuridico.

19. Menckes, Gottfr. Ludw.: De literorum appellatione in  
Caseri collateralis negotiis non continentis
20. Menckes, Gottfr. Ludw.: De criminis barattariae  
sive repulsione.
21. Menckes, Gottfr. Ludw.: De modo legalis adscripto  
<sup>ab</sup>
22. Menckes, Gottfr. Ludw.: De eo, quod juris est circa  
canceris observacionem nos schuld. Thurus paenam.
23. Reinhart, Alth. Henr.: De statu causarum mali-  
nominis tempore reformationis
24. Reinhart, Alth. Henr.: De jure positivo et iuris natura.
25. Vater, Alth. Henr.: Divitios, i. mag. uir. gen. uirilis  
praeponens, s' est secundina fructu continua in molan-  
vers. abortus causa . . . ad acceptandum propo-  
nitur.
26. Weidler, Joh. Fried. et Ioh. Gell. Weidler: De traditione  
cerum collata jure naturali et positivo.

1729.

23. Werner, B. Fridericium : De jure exclusus &c. I. Caesa  
et abdicatione

24. Werner, B. Fridericium : De curatione circa libros  
Antonorum gratia imporato

cripto

ica

nan

hi


persols

uola

mota

corpo

otisca







*20  
1678*

*172.9 /  
1a*

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO JVRIDICA  
DE  
JV·RE  
V I A R V M  
PVBLICARVM  
QVAM  
PRAESEDE  
GEBHARDO CHRISTIANO  
BASTINELLERO  
JCTO  
SAC. REG. MAJ. POLON. AC PRINC. ELECT. SAX.  
A CONSIL. AVLAE, CODICIS PROF. PVBL. CVRIAE  
PROVING. ET CONSIST. ECCLES. ELECTOR. SAX.  
SCABINATVS ET FACVLTATIS JVRID. ASSESSORE  
PATRONO ATQVE PRAECEPTORE AETATEM  
DEVENERANDO  
IN ILLVSTRIAD ALBIM ACADEMIA  
AD DIEM APRIL. MDCCXXIX.  
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBIICIT  
AVCTOR ET RESPONDENS  
GEORGIVS ERNESTVS HEIM  
HERMANSFELDA - HENNEBERG.

---

WITTEBERGAE  
TYPIS GAEBAERTIAE VIDVAE.

PLATONIS ET PLATONICO

ETRUSCA

MURIA IV

OMNIBUS QUINTO

XVII

ALIAS

TIPOGRAPHIA

MURIA IV

1800



DISSERTATIO JVRIDICA  
DE  
JVRE VIARVM PVBLICARVM  
CAPVT I.  
DE VIIS PVBLICIS  
ET  
EARVNDEM GENERALI CONSIDERATIONE.

§. I.



Ateriam de JVRE VIARVM PVBLI- Significa-  
CARVM pertractaturus, operaे o- tiones Ety-  
mnino pretium esse existimo, de si- mologicae  
gnificationibus Etymologicis, quas Via-  
Histor. Rom. Scriptores vocabulo:  
VIA: attribuerunt, nonnulla praemittere. Inueni enim, in acie spa-  
tium illud, quod inter milites iam-  
iam confligentes, & post illos proxime conflicturos, in-  
tercedebat, viam dictum fuisse. LIPS. de Milit. Rom. IV. 7.  
Deinde lora illa auro argentoque texta, quibus Romana-  
rum virginum vestes saepenumero exornatae, condeco-  
rataeque erant, viae nomine designabant, teste TIBULL.  
II. 6.35.

*illa gerat vestes tenues, quas foemina Coa  
texuit auratas dispositaque vias.*

A 2

Tan.

Tandem recentioribus Scriptoribus vocabulum :Via: denotat etiam rotundas illas sedes, sive locum, vbi infima plebs in Spectaculis stare solebat; TERTULL. de Spectac. C. 3. *Vias vocant cardines balteorum per ambitum.* In sensu autem communis apud Germanos Via significat eis  
nen Weg, mihi vero in hac praesenti materia denotat die  
freye Heer- und Land-Straße.

## §. II.

Origo viarum publicarum generalis. Handquaque vero putetis velim, ac si ego opiner, quod statim cum creatione mundi viae publicae existere coeperint, cum multo magis progressu temporis hinc inde stratae, atque, multiplicato genere humano, simul multiplicatae fuerint. Etenim alter hanc, alter illam, alter aliam terrae partem, vti ex S. Scriptura certissime patet, occupabat, agros conferebat, colebat, inque suos vius conuertebat. Sed quo magis genus humanum crescebat, eo maior societas ad crescerebat; quo maior autem societas, eo audiiori quoque nota inueniendi cupiditate homines flagrabant. Ille delectabatur agricultura, & cum terra, quae nunquam recusat imperium, sed cum uberrima vsura, & maiori cum foenore plerumque, quod accepit, reddere solet, habebat rationem; ille pascebatur pecora, unus alterue omnis rebus atque artibus excogitandis impendebat studium.

## §. III.

Et quanquam, ipsis hominibus paulatim a communione discedentibus, quilibet suam sequeretur familiam, ad sua bona respiciendo, imo paulo post per spiramenta temporum ex paruis istis primordiis ipsa imperia exsurgere, distinctaque territoria esse coeperint; mutuum tamen

Et specialis per commercia.

men nihilominus illud consortium perpetuo perdurabat, ac commune illud foedus, naturae congruens, nec ab ipsa humanitate exui atque dissolui poterat; id quod etiam confirmat GAIUS L. 9. ff. de J. 8<sup>o</sup> J. Verum enim vero Deus sapientissimo suo consilio tam adcurate omnia ordinavit, vt genus humanum, in diuersas orbis partes dispersum, propter indigentiam, inopiamque, sine aliorum ope atque auxilio confitere non posset. Etsi enim quaelibet orbis pars multis & fere omnibus instruenda sit bonis; summum tamen Numen dona sua ita distribuit, vt plerumque, quibus rebus haec regio abundaret, altera, & cum primis earum, quae ad amictum, corporisque commoditatem spectabant, indigeret. Opus itaque erat, vt homines inter se mutuum commercium & reciprocam colerent societatem. Inde ex hac necessaria, magnaque cum emolumento coniuncta, consuetudine commercia, quae primis illis temporibus in mutatione ac permutatione tantum consistebant, profluxisse, nullum prorsus reliquum est dubium.

## §. IV.

Ad stabilienda autem, nec non tuenda, commercia requiritur primum, vt omnibus ac singulis liber accessus, dum com- & per alterius prouincias, regiones & territoria, transi- moun- merciutus concedatur; deinde etiam, vt certa quaedam loca pu- requiruntur viae li- blica, per quae iter facientes commode commeare, nec berae. non res, in commercium venientes, secure transuehi, transmitti atque transportari possint, constituantur.

## §. V.

Vias autem rebus annumerari publicis, (a) quarum hinc o-  
A 3 vhus mnibus patere de- bent.

(a) Posse quoque Vias referre ad res communnes, Noodt. Probabil. Jur. L. 1.

vſus regulariter omnibus patet, neminique interdici potest, conſtat ex earum indole, natura, nec non legibus corroboratur Romanis L. 2. ff. ne quid in loc. publ. vel. itin. fieri. Ideo autem dicuntur publicae, quia non tantum in vſu publico, i. e. vſibus publicis perperuo, attributae, sed quarum ſolum etiam est publicum, VLP. I. c. f. 21. Reſtricta paulatim, vel potius sublata penitus, populum ac gentium libertate, viri omnino prudentiſſimi ſatis caute obſeruarunt, nec non perspexerunt, hoc vnum eſſe neceſſarium, ne viae occluſerentur, multo magis omnes operas, omnes ſumtuos, omneque ſtudium ad vias deſignandas, eas exornandas, atque ita conſeruandas, vt vnuſquisque iis ſecure frui, commodeque commercia exercere poſſet, ſibi impendendum putarunt.

## ſ. VI.

Cura gen-  
tium circa  
vias con-  
ſeruandas  
ſumtuosa. At enim ſue Graecorum, f. Indiorum, aliorumue in-  
ſpicias vias, nullam rempublicam, praeter Romanam,  
nullumque populum, qui publicae iſtius commoditatis,  
orbisque ornamenti, ſtudioſior vnuquam exſtiterit, inuenies.  
Quanta enim magniſcentia Romani in viis publicis sta-  
tuas Mercuriales poſuerint, quamque iplendida monu-  
menta exſtrui curauerint, quanto ſtudio per totam Italiam,  
quantis ſumtibus atque impensis, quanta contentione cla-  
riſſimi viri, fortiſſimi bellī Duceſ, publicas vias Straue-  
rint, munierint, & lapidibus milliaria, ſummae utilita-  
tis exemplo, diſtinixerint, (b) poſt alios tradit LIPSIVS  
de

C. 7. 8. vbi oſtendit, nullum ex veterum Jutorum mento eſſe diſcri-  
meret communes & publicas; omnia enim publici vſus ſunt, quorum  
innoxia eſt utilitas, h. e. quando vni ita profunt, vt vſus non noceat alteri.  
(b) Quodſi quis propriis ſumtibus vel nouam viam faciebat, vel veterem  
reficiebat, lapidibus nomen ſuum, atque haſce litteras initiales, D. S. P.

*de Magnitud. Romae L. III. C. 10.* Sed cum alio loco plura de hisce erunt dicenda, merito hic figo pedem, & potius ad ipsam rem me conuento.

## §. VII.

Sunt autem Viae publicae certae territorii portiones, Definitio  
seu loca publica, quae in porrectum, vel etiam anfractum, viarum  
certis latitudinis finibus ab eo, qui ius constituendi atque publica-  
publicandi habet, in hunc finem vacua relicta, ut publica-  
cum eundi & commeandi usum praestent; patentia liber-  
rimi aditus causa, quorum ductibus omnibus hominibus  
ibi mutuo conueniendi, & commerciorum ope cuncta-  
rum fere terrarum vtilitates communicandi, copia datur.

## §. VIII.

Dicuntur quoque Viae publicae alias regiae, consulares & militares, germanice Land- und Heer-Strassen, quia Reges & Duces belli, qui tempore pacis in Rom. rep. fuere Consules, *L. 2. §. 27. de Orig. Iur.* per eas exercitus ducebant. Dicuntur Praetoriae eodem sensu, quo Consulares, & *βασιλικαί*; nam Duces belli quoque & omnes magistratus, ipsique Consules, antiquitus Praetores dicebantur. Conf. HEINECCII Syntagm. Antiqu. Rom. *L. 1. Adpend. n. 99. p. 367.* Militares hanc ob causam vocabantur, quia exitum ad mare, aut in urbes, aut in flumina publica, aut in aliam viam militarem, sive publicam habebant, *L. 3. §. 1. ff. de loc. & iuri publ.*

## §. IX.

De Sua Pecunia; vel D. S. P. F. De Sua Pecunia Fecit; vel D. S. P. F. C. De Sua Pecunia Faciendum Curavit: insculpi iubebat, quandoquidem unicuique priuato permittebatur, operibus publicis, a feneret conditis, non men inferere, ad prouocandam aliorum liberalitatem, & ad capiendum munificentiae suae fructum, ut illoquitur JCtus in *L. 2. pr. L. 3. §. 2. L. 7. §. ff. de Operibus publ.*

## §. IX.

Earum differunt a modo videlicet viae priuatae & vicinales a publicis vicinalibus & priuatis differant, de singulis pauca praelibanda esse putauit. Sunt viis, & quid autem viae priuatae, quae alioqui quoque agrariae, Felds priuatae.

Wege, Holz-Wege, adpellantur, quarum solum est alienum, & in quibus ius tantum eundi & agendi nobis competit. L. 2. f. 21. ne quid in loc. publ. vel itin. stat: atque ab ipso VLPIANO dupliciter sumuntur, & sunt vel hae, quae ad agros ducunt, per quas omnibus permeare licet, in quas exitur de via consulari; vel hae, quae sunt in agris, vel fundis, quibus imposita est seruitus, ut ad fundum, vel agrum alterius ducant. l. c. f. 23.

## §. X.

Quomodo Hae autem seruitutes dicuntur Iter, Actus, & Via, & servitutes, differunt inter se quoad maius & minus, & describuntur iter, actus & via ab VLPIANO L. 1. pr. ff. de seruit. praed. rust. scilicet, quod seruitus itineris, germ. der Fuß-Steig, sit ius eundi, ambulandi hominis, non etiam iumenta agendi, (c) vel vt. I. OTHOFREDVS ad b. l. lit. n. Iter est, qua homo itare potest pedes, vel eques, L. 12. b. t. Huius seruitutis spatium, quod in legibus Romanis sit determinatum, nullibi reperimus.

Communiter duorum pedum esse dicunt, in Sax. autem est trium. Weichbild. art. 129. Actus german. die Über-Stritt, oder das Treiben über eines andern Feld in cit. L. pr. ab VLP. definitur, quod sit ius agendi pecus per alterius fun-

(c) Haec ipsa tamen significatio huic voci non, nisi inter JCtos, competit, ceteroquin etiam intra vrbes plateae vocantur itinera, & extra easdem viae, quaevis, e. c. itinera vrbis. Seneca Ep. 31. Sueton. Caesar. Cap. 84. Tacit. Hist. I. 81. Seneca, foeminaeque, per tentbras diuerias vrbis itinerari domos, plurimi amicorum testa petiuerent. Cornel. Nepos 18. 3. Hoc eius fuit prudentissimum consilium, ut deuiniis itineribus milites ducerent.

fundum, quamuis insuper etiam ius ducendi vehiculum contineat L. 7. pr. L. 12. eod. Latitudo olim erat quatuor pedum, teste VARONE & FESTO: MENAGIVS Amoenitat. iur. civil. C. 36. Via dicitur ea, vbi alter per alterius fundum, ius eundi, agendi, vehendi, trahendi lapidem, & quae sunt reliqua, habet. L. 7. pr. ff. eod. Huius seruitutis latitudo tam Iure Rom. quam Saxon. in porrectum est octo pedum, L. 8. d. t. Weichbild art. 130. in anfractum, i. e. vbi flexum, sedecim, L. c. Vbi igitur duobus haec seruitus conceditur, latior debet esse via, ut currus currui cedere queat. LUDOVICI in Doctrin. ff. de Seruit. Praed. rustic. ff. 4. Landz Recht Libr. II. art. 59.

## §. XI.

Hoc loco notanda est regula: *cui competit plus, illi quoque minus competat, necesse est.* Qui itaque ius viæ in alterius fundo habet, ille quoque seruitutem Actus & itineris exercere potest. Ex hisce nunc sequitur, quod non omnibus licitum sit, vnam alteramque ex hisce tribus seruitutum speciebus exercere, quia est ius, quod rarissime alter alteri per pacum commoditatis ergo, siue ad meliorandum suum fundum, constituit, vel quod alter in alterius fundo per praescriptionem inter praesentes decem, inter absentes viginti annorum (d) L. f. C. de Praescript. long. temp. vel aliis modis, sibi adquisuerat.

## §. XII.

Vicinales sunt viæ, vel quae in vicis sunt, vel quae in vicinos ducunt, L. 2. ff. 22. ne quid in loc. publ. vel itin. fiat. Et licet

nales?

B

ali-

(d) Doctores in rusticarum seruitutum praescriptione immemoriale tempus desiderant, Meuvius 9. Dec. 164. arg. L. 2. §. 3. L. 23. ff. de aqu. & aqu. pluv. L. 3. 4. ff. de aqu. quotid. & aestiu. Hanc sententiam in Camera quoque Imperii receptam esse, testatur Gaius L. II. Obs. 66.n.7. Mynsinger Cent. IV. Obs. 53.

aliquando accidere possit, ut vel concurrat, vel intermedia sit via publica, sunt tamen & dicuntur priuatae. Fiant autem secundum VLPIANI assertioneM L. 3. ff. de loc. & itin. publ. publicae, quando ex collatis priuatorum agris factae sunt, modo ea collatio excedat hominum memoriam; ego vero affirmare mallem, meliori fundamento has dici posse vias vicinales, quae de vico in vicum, atque ex pago in alium pagum proximum ducunt, quibus regulariter nemo, praeter incolas huius vel illius loci vicini, uti debet. Dico quidem regulariter, quandoquidem, si nulla alia extet via publica, in casu necessitatis, atque insubsidium, omnibus omnino licet hac commeare.

### §. XIII.

Differunt  
vias priu-  
tae a pu-  
blicis.

Maximam autem differentiam inter vias priuatas & publicas in eo potissimum consistere opinor, quod nimirum priuatarum solum est alienum & priuatum, nemini que permisum, iisdem incedere, nisi ab altero ius acceperit. Omnibus vero priuatis tales vias per modum seruitutis aliis concedere licet. Publicarum e contrario viarum solum est publicum, & per illas omnibus transitus in diuersa loca patet, quae tamen non a priuato, sed a solo Principe, constitui atque denominari possunt.

### §. XIV.

Viae apud  
Romanos  
inter res  
pretiosissi-  
mas nu-  
merarie;  
& de ea-  
rundem  
Curatori-  
bus.

Inter maximas pretiosissimasque Roman. res Vias non Romanos solum Histor. Romanae Scriptores vnanimi consenserunt LIPS. L. 3. C. 10. qui, quoniam impendiis, inquit, & sumtu eae confectae, stupor me habet, si vel unam Appiam considero; sed & clarissim patescit ex eo, quod praestantissimi semper rebus gestis, & meritis in Rempubli- cam plane egregiis maximopere conspicui, viri ad perpetuum

tuam istarum conseruationem semper fuerint constituti. Sic ipsum Iulium Caesarem viae Appiae, PLVTARCH. in *Caesar*. p. 709. E. Thermum viae Flaminiae, CICERO ad Attic. l. i. LIPS. ad Tacit. *Annales* III. *Excurs.* E. Tertullum viae Aemiliae PLINIVS Epist. V. 15. Curatores fuisse, tradunt. Quid? quod! quando cuidam eiusmodi munus deferebatur, quanto gaudio, quanto laetitia ipsius amici atque necessarii affecti fuerint, Auctores se vix verbis exprimere posse fatentur. Quo & illud notatum dignum est, quod quidem ab initio quatuor tantum viarum curatores Roma haberit, l. 2. *ss. eodem tempore*, 30. ff. de Orig. Jur. Deinde a P. Viatore curatores duo singulis urbibus regionibus adsignabantur. Curam viarum publicarum ad Aedilium officium pertinuisse, edictum Aedilit. in ff. relatum docet, quo edicebatur, ne quis animal aliquid, qua vulgo iter fit, ita haberet, ut nocere cuiquam damnum dare possit, L. bi enim 40. L. qua vulgo 42. ff. de Aedilit. editio. Quaestoribus viarum sternendarum munendarumque curam demandatam fuisse, demonstrat SVE T. in *Cloud.* C. 24. Augustum denique, idem Author scribit, spatium urbis in regiones, vicosque, diuississe, instituisseque, ut illas annui magistratus sortito tuerentur: hos, magistri e plebe viciniae cuiusque electi, quos Vico-Magistros P. Victor vocat. Itaque ut eo magis elucescat, vias omnino apud veteres Romanos inter res maximi momenti fuisse relatas, si de iis in genere aliquid exponam, me non inepte facturum arbitror.

## §. XV.

Quo autem splendidior iuxta atque diuturnior viarum publicarum usus permaneret, tam in urbe silice, quam exterritoria urbis Roman. in tra

quo confi- tra illam glareā illas sterni marginarie curabant, LIPS.  
stat.

I.c. Quintum Flauium Flaccum & A. Posthumium Albi-  
num, Censores, vias sternendas silice in vrbe, & extra vr-  
bem glareā substernendas, marginandasque, primos o-  
moium locauisse, inquit, harumque vestigia per totam fe-  
re Italiam adhuc reperies. Antiquissimam viam Appi-  
am, Centore Appio Claudio, maximis incredibilibusque  
sumbris exstructam, refectionam, ab vrbe Roma Capuam  
vsque ductam, per quinque diurnum iter durantem, ex-  
empli loco adducan, de qua testis sit PROCOPIVS L. i.  
de Bello Gorbic. ita dicens: *Appius ex aliqua & longinqua  
tunc regione (ut reor) excisos lapides, & hos quidem siliceos,  
& suapte natura durissimos, in banc viam vebendos curauit.  
Quos planos deinde ac laeues redditos, & quadratos incisione  
factos, iunxit, & in ordine locauit, metalli nibil vel alterius  
rei inserendo. Sunt ramen ita connexi, & valide inter se  
haerent, ut speciem visentibus praebant, non coniunctos ita,  
sed congenitos esse, & quamvis tot iam seculis atterantur ad-  
fiduis plaustris, iumentisque, tamen neque serie sua vel mini-  
mum exeuunt & dimouentur, neque franguntur & laeurem  
suum amittunt.*

### §. XVI.

Statuae  
Mercuria-  
les in viis  
publ. con-  
stitutae.

Atque in hisce viis exstructae erant statuae ad-  
modum insignes, quae dicebantur Mercuriales, a Mer-  
curio Deo, cuius nomen prae aliorum Deorum co-  
gnomentis summe venerandum erat. Mercurium  
enim commerciorum nec non negotiorum moderato-  
rem, artium auctorem, aedium custodem, cumprimis  
viarum Ducem, Deumue tutelarem credentes, in eius ho-  
norem huiusmodi statuas in locis publicis non magis,  
quam

quam priuatis, tam intra vrbes, quam extra eas, & religio-  
nis, vel potius superstitionis, (adeo enim illis temporibus  
vesana supersticio caput inter gentes extulerat, vt saepius  
omni ratione potentior humanis mentibus imperaret,) &  
& ornamenti, & vtilitatis quoque cuiusdam, aut commo-  
ditatis peregrinantium causa erigebant, solemnique ritu  
consecrabant.

## §. XVII.

*Quanquam vero origo harum statuarum adhuc est in-*  
certa, (e) eas tamen apud multas gentes, praecipue Grae-  
cos ac Romanos, fuisse vistatas, certum est. Incredibilis  
enim earum, cum primis Romae, erat multitudo, differe-  
bant tamen ratione pretii, excellentiae ac ponderis. Aliae  
erant ligneae, vnde tritum illud: *non ex quovis ligno fit Mercurius;* aliae erant marmoreae, ita enim LIPSIUS l.c. *Omitto*  
*marmoreas illas & aereas, dico argenteas, aureas, arque*  
*eburneas; & argenteas quidem, teste Plinio & Suetonio,*  
*maxime sub Augusto increbuerentur. Domitianus non, nisi*  
*aureas, argentoque confectas, ac certi ponderis, sibi ponit*  
*permisit. Commodus Imperator statuam mille libra-*  
*rum auream habuit cum tauro & vacca, quasi vrbis condi-*  
*tor. Verum quia cuilibet licitum erat tales erigere, vrbis*  
*tandem iisdem erat impleta (putabant quippe se posse nul-*  
*la re magis sua nomina reddere immortalia) adeo, vt Imperator  
Claudius vetuerit, edixeritque, ne quis in posterum  
priuatus sibi poneret aliquam, nisi Senatus permisit, ex-  
cepto, si quis opus publicum faceret, reficeretque.*

B 3

## §. XVIII.

(e) Confer elegantem Diff. Carol. Christ. Schrammii, sub Praef. Excell. Dn.  
Kemmerich. habit. de Origine Statuarum Mercurialium.

Harum O-  
rigo decla-  
ratur.

## §. XVIII.

**Forma & figura po-** Porro discrimen inter statuas intercedebat ratione for-  
mae, s. figurae, quae erat quadrata, s. quadrangularis. Quan-  
doquidem autem Mercurius nonnunquam bifrons, bi-  
ceps, triceps, quadriceps formabatur, ita, ut alterum caput  
hic, alterum illic, alterum alibi conuersum haberet, singulis  
quoque capitibus nominalocorum, vel viarum, quas mon-  
strabant, inscribebant.

## §. XIX.

**Aliud co-** Aliud praeterea columnarum genus Romae olim in  
lumna- v'su fuisse legimus, quae milliares dictae, per interualla via-  
rum genus rum publicarum positae, & milliaribus designandis ac-  
praeter cmodatae erant. Huius laudabilis, egregiique insti-  
Mercuria- tuti auctor atque inuentor perhibetur Caius Sempronius  
les statuas Cracchus Tribun. Plebis, qui & Q. Caecilio Metello Ba-  
learico, T. Quintilio Coss. A. 10 CXXX. hancce Legem  
Sempronianam tulit: ut viae in Italia minirentur, sterneren-  
tur, lapidibus millaria discernenibus notarentur, pontibus in-  
struerentur. confer. IOH. ROSINVS *Antiqu. Rom. L. VIII.*  
*C. 31. p. 141.* HOTTONANNVS *Antiqu. Rom. ad Ius ciu.*  
*pertin. ELEM. sub voce L. Sempronia.* Hae autem statuae a Ro-  
manis vel simpliciter vocabantur lapides, vel cippi lapidei,  
LIPS. L. 1. Erant cippi quidam eminentes, in quibus in-  
sidere fessis, onera reclinare, aut etiam ex iis in equum ad-  
scendere, fas esset; vel vt VELSER. *ad Charr. Peuting.* Cer-  
tissimi testes sunt, inquit, lapidei Cippi, qui reliqui; ex qui-  
bus interstitia locorum itinerariis adnotabantur.

## §. XX.

**Inter alia** Quoniam insuper Romanorum multum intererat, quo  
maxima- familias suas immortalitati commendarent, plerumque in  
perc splen. viis

viis publ. vt transeuntes defuncti statum, dignitates, dominus, laudes extollere, diuitiasque mirari, nec non, vt ossa membraque combusta tranquille requiescant, adprecari (f) memoresque mortis esse possent, splendissima monum- didissima eminebant monu- ments in viis posita. ta, sepulcraque erigenda curabant atque conficienda. Quam pulcer ille *adspexit*, inquit LIPSIVS *l.c. vianibus*, quanta & seniorum & iocorum materies? illic illustrium ingeniorum, aur clavorum virorum memoria, & inscriptio: alibi libertorum, seruorum, scortorum superba moquamenta mirari, dolere, illudere, etiam detestari, occasio erat, & quid in tot titulis & inscriptionsibus paci? quaedam enim meliorum ingenio, & scientiae; quaedam aliqua nota aut inuenientiuncula spectabiles, & istae, quae hodie extant, dicent: ita me Deus, iucundum *adspicet*! & ego, si in tali via remorer, substatam, indormiam.

## CAPVT II. DE JVRE VIARVM PVBLICARVM.

### §. I.

**C**um itaque in antecedentibus satis sufficienterque de *Origo in-*  
*Vii in genere dictum fuisse arbitror, in sequentibus de* *ris circa*  
*iuribus, iisdem annexis, ut agam, necessum erit. Omnia iu-* *vias, publ.*  
*ra territorialia, omnia regalia, tam maiora quam minora,* *pristina,*  
*Imperatoribus solum competuisse, nemo est, qui dubitat;*  
*eadem quoque (excipias referuata Imperatoris), quae olim*  
*Imperatori, omnibus nostri Imperii statibus hodie compe-*  
*tere,*

(f) Ouidius Trist. III. 75.

*At tibi, qui transis, ne sit graue, quisquis amat;*  
*Dicere, Nasonis molliter ossa cubent.*

tere, vix vllum videbis, qui in controuersiam vocet. Quo autem modo, qua occasione, vtrum per bella, an aliis rationibus adquisiuerint, tempori inserviens, merito hic omitto. Vnum tamen notari meretur, quod praeclarus ille Aurelianensis Wilhelmus Fornerius in selectis iuris elegantissime obseruauit, videlicet, fortis illos heroës, genuinum sincerumque Germaniae populum (vti illos vocat Cocceius in *Iur. publ. proleg.* §. 20.) qui & totam subiugarunt Galliam, Francos, hunc habuisse morem, consuetudinemque (vti quoque ex LL. Germanicis patet) quod res illas publicas, a despotia, s. bona illa, certo domino carentia, quorum usus, quorumque iura omnibus erant communia, principi, imperanti, summo regenti, quo in suos usus converteret, concederent. Et si coniecturis sit locus, non vna fuisse ratio creditur. Videbant enim, si usus inter tot capita diuisus, quemlibet pro sua rata parum aut nihil percipere posse, iuraque seiuincta multum incommoditatibus, multum confusionis ac perturbationis, secum tractura, sin autem haec omnia penes vnum, eum quoque meliorem ordinem obseruare, atque ex his maiores usus, fructusque capere posse. Et quid? quod! cum certissimum, quod Princeps in Republ. τὸ κύρον, τὸ ηγατός, summum maximumque caput sit, multa πρέσβατα habeat, totum repraesentet populum, summaque maiestas, quae secundum vulgi opinionem in externa magnificentia, splendore, ac pompa confisit, habeat palatium magnifice exstructum, magnos ductus, multos ministros, generatim, vt omnia splendide fulgeant, atque emicent, necesse quoque est, vt habeat, de quo iucundam, commodamque sibi reddere vitam, seque cum amicis, statuque aulico regium ostendere possit.

§. II.

## §. II.

Quodsi vero omnes Imperii Status omnia iura territo-  
rialia ac regalia plene possident, viae autem publicae ad  
regalia 2. Feud. 56. & quidem minora STRYK. Examin.  
jur. Feud. C. 9. qu. 6. COCCEIVS Jur. publ. C. 23. Sect. 2. §. 38.  
pertinent, hoc quoque regale, ius viarum publicarum, sibi  
attribuunt. Est autem hoc Regale ius supremam iuris-  
dictionem ac dominium in Viis publicis exercendi, redi-  
tusque inde percipiendi ad promouendam earum securi-  
tatem. STRYK. l.c.

## §. III.

Ex hisce praemissis certissime liquet, res publi- Soli Prin-  
cas non amplius esse in patrimonio subditorum, ho- cipi com-  
rumque commercio plane exemptas, nullique priuato perit ius  
permisum, publicam constituere viam, sed soli Principi viaspubli-  
hoc ius competere; ergo nunc Principis est, vt certum cas confi-  
publicumque locum, per quem sine incommodo iter  
potest institui, auctoritate publica denotet. Nullo au- tuendi.  
tem alio modo id fieri posse arbitror, quam vel publica  
proclamatione, vel Edicto publico, ita in Ordinat. Polit.  
Elect. de A. 1555. Tiz. die Land-Straffen zu erhalten. Und nach-  
dem der Land-Straffen halber, wohin dieselbigen gehen sollen, hie-  
von durch unsere Vorfahren Ausschreiben geschehen; als wollen  
wir dieselben, damit sich mit deren Unwissenheit niemand entschul-  
digen moge, forderlich verneuen, und an jedem Gesaets-Hause an-  
schlagen lassen; vel tacita, quod tamen rarissimum, Princi-  
pis concessionē.

## §. IV.

Potest quoque Princeps pro re nata propter commo- Ex quo se-  
ditatem securitatemque peregrinantium, aliisque ex causis quitur ius  
mouentibus, veterem viam mutare, nouamque in fun- pro lubitu  
dis di vias.

C

dis subditorum pro lubitu constituere. Dicitat autem recta ratio, suadetque naturalis aequitas, & in rebus ci-  
vium aequalitatis conseruatio, quae & benevolentiam  
multitudinis conciliat, & societatem subiectorum tuetur,  
**GRO TIVS** de *Jur. Bell. & Pac. L. II. C. 14. s. 7.* vt loco  
damni, quod propter hanc permutationem passi sunt,  
premium refundatur, aut aequivalens restituatur, *L. f. C.  
de immunir. nem. conced.* Limitanda tamen est haec sentia-  
tentia hunc in modum, si via pristina per inundationem,  
aut terrae motum, deperdita atque corrupta esset,  
Princeps quoque & respubl. ad inopiam vergerent, da-  
mnumque resarcire non possent, & melius est hoc in casu,  
vt unus & alter damnum sentiat, quam vt tota respublica  
pereat. Quisquis enim non ignorat, quanta sit dominii  
eminenter in Republ. virtus & potentia, neque eadem  
aequitate sua destituitur, si Principes illa in subsidium &  
non, nisi urgentissima necessitate, suadente hoc iure, vtan-  
tut. Conf. JOH. FRIDERICVS HORNIVS *in Diff.  
de Dominio supereminente.*

## §. V.

Quid re-  
quiratur  
ad viae  
constitu-  
tionem.

Ad constituendam viam publicam porro quod attinet,  
speciatim requiritur, vt, ratione longitudinis & lati-  
tudinis, mensura eius rectissime definiatur. Quod cum  
non, nisi publica autoritate, fieri possit, dum mensura talis  
pro lege ab omnibus seruari debet, constat, circa  
hoc quoque negotium suas Principi partes attribuendas  
esse.

## §. VI.

Latitude  
vize publi-  
cae.

Quod concernit viarum publicarum latitudinem, illa  
iure Rom. ex *LL. XII. Tabb.* ita definitur, vt in *porrectum  
octo*

*octo* pedes, in *anfractum*, i. e. vbi flexum, ad flectendi plaustris commoditatem, ROSIN. *Antiqu. Rom.* L. VIII. p. 1286. L. 8. ff. de seru. praed. ruf. sedecim habeat, vel ita, ut currus alteri cedere possit. L. viae latitudo d. t. Jure Sax. etiam viae latitudo perinde, vt de Jure communi l.c. *octo* pedum esse debet per textum in *Weichbild art. 129.* vel vti alibi dicitur, Via regia tam lata esse debet, vt currus currui cedere possit, LAND-R. Lib. II. Art. 59. ibi des Königes Land-Strasse soll also seyn, daß ein Wagen dem andern weichen möge. OETTINGER de Jur. Limir. L. 1. C. 9. n. 2. ZIEGLER de Jur. Mariest. L. II. C. 17. ff. 21. Ego potius arbitror, latitudinem viae ex viu peregrinantium, & conditione loci, definiendam esse.

## §. VII.

Solet quoque saepenumero euenire, vt, vbi viae sunt Aurigae, angustiores, aurigae ob iter distortum, alii alium non ad-  
alique pe-  
rigrinan-  
tes, quo-  
modo se-  
gerant in  
occurren-  
do.  
uertentes, in transitu impedianter, neuterque obuiantium currum retroducendo, cedere velit; quanta autem hac occasione iurgia, quantae altercationes, quae lites, vulnera, saepius caedes orientur, referunt iudices. Tantae perturbationes ac confusiones vt praecauerentur, certus fuit modus constitutus. Das nehmlich der leere Wagen soll weichen dem geladenen, und der minder geladene dem schweren, der reitende dem Wagen, und der gehende dem reitenden. Sind sie aber auf einer Brücke, und jaget man den reitenden, oder einen zu Fuß, so soll der Wagen stille stehen also lange, daß sie mögen herfür kommen, und welcher Wage zu erst auf die Brücke kommt, der soll zu erst überfahren, er sey leer, oder geladen. LAND-R. Part. II. art. 59.

20 CAP. II. DE JVRE VIARVM PVBLICARVM.

LVDOVICI Doctr. ff. Tit. de Seruit. praed. rust. s. 4. ibique FELTMANN in discept. acad. de vehiculis sibi obuiis. Non autem tantum in Saxonia, sed & in finitimus & fere omnibus regionibus hoc, tanquam ius commune, ab auri-  
gis seruari, obseruabis, suadente scilicet aequitate natu-  
rali, vt pote ex cuius fonte decisio Iuris Saxonici deri-  
uanda est.

§. VIII.

De viae  
longitudi-  
ne, eiusque  
mensura-  
tione di-  
versa, co-  
lumnis  
hunc in fi-  
nem pos-  
itis.

Longitudo per certa interualla, quae hodie communi-  
ni nomine milliarum, Romanis milliare vel milliarum,  
Graecis μίλιον, Germanis eine Meile s. ene Mile dicitur,  
adpellantur, describi solet. Quot autem territoria, tot  
diversae milliarum mensurae. Germani nostri spatia,  
quibus itinera sua dimetiri sueverunt, antiqua voce Nū-  
sta, Nasta (ita forte dicta sunt, das man alda rasten oder  
ruhen konté) olim designarunt; confer. PIERRE DAVI-  
TY Le Monde T. I. p. 138. Des Raffes d' Allemagne ita in-  
terpretatur: Ces sont des certaines pierres, ou pieces de bois,  
disposées dans les chemins, pour soulager ceux, qui sont charges.  
In multis Germaniae locis inuenies Hodogeas ligneas,  
in viis publicis ereatas, quibus millaria notantur. In  
Saxonia quatuor milliarum genera obseruat Auctor Diff.  
de Jur. statuar. Mercur. ac Column. milliar. Sect. II. s. 13. quae  
illustrationis causa referam: Primi generis sunt maiora, ea-  
que antiquiora, quae ex determinatione glossae & veterum Sca-  
linorum Lipsiensium sententia 60. iugera, s. 3600. perticas Saxon-  
icas, vmasue 27000. complectuntur, conf. Glossa ad Libr. III.  
LAND. R. art. 66. Eine Meil Weges soll von Rechtswegen  
haben 60. Gewende, und ein iedes Gewende 60. Ruthen, und  
eine jede Ruthen achthalbe Elle. Alterum genus in re venatoria  
olim

olim usitatum fuit, 21. longioribus pannis 11025 vlnis terminatum. Tertium est ab AVGUSTO glorioissimae memoriae ELECTORE 1500. perticis vel 12000. vlnis Dresdenibus definitum, adeoque Germanico Geographicō ferme aequale in dimensione terrarum Saxoniarum, ipsius aeuo suscepta, adhibitum. Quartum denique inter priora medium, superiori seculo primum, pro terminandis felicius, quae cum ordine equestris ciuitatibus de iure cercusfario intercedunt, controversis a Senatu regiminis Electoralis 2000. perticis, sive 16000. vlnis Dresdenibus, octo vlnis in perticam computatis, determinatum, ac mensuribus iuratis in mensurandis millioribus, lice badiusmodi exorta, pro normo praescriptum. Et haec milliarii Saxonici mensura a Potentissimo Rege & Electore Saxonico nouissimis rescriptis & decisionibus comprobata est: ita in Rescripto de Ann. 1715. wobei wohl zu merken, daß die Viertel Meile nach 500 achtelichten Ruten, oder 4000 Dresdenischen Elzen, gerechnet werden müß. sc.

## §. IX.

Vsum harum milliariorum columnarum insignem o. Vsus huius minino esse ac multiplicem, propter varia negotia ciuitalia, propter cursum publicum, & equos hunc in finem certis locorum stationibus dispositos, & propter commoditatem peregrinantium, quilibet prudens facile perspicit. Solent enim aurigae iuxta milliariorum numerum suam pro personis, aut literis, aliisque rebus, de loco in locum transferendis, accipere mercedem, atque ea propter in Ordinationibus Postarum denen Post ordinungen, provincialibus, pro personis & rebus in- & euchenidis Taxa huic viarum dimensurationi attemperari solet,

& multae eitantur lites. Idcirco **Potentissimus Polonorum Rex atque Elector Saxoniae, FRIDERICVS AVGVSTVS,** paucis abhinc annis per omnes fere Saxonie prouincias in publicis viis quatuor columnarum genera, ex lapidibus confecta, instruenda curauit, quibus, literis initialibus, POTENTISSIMI REGIS nomen insculptum est, quae tamen variant ratione magnitudinis & altitudinis.

## §. X.

**Jus erigendi columnas so-** Potestas autem in Viis publicis columnas erigendi, quod nemini, nisi Principi, competit, & ad iura regalia, li Principi Viis publicis annexa, pertineat, quis est, qui in dubium competit, vocet?

## §. XI.

**An Princeps omnibus liberum transitum concedere teneatur liberum transitum;** Constitutam nec non stabilitam Viam publicam priusquam relinquo, quaeritur: An Princeps omnibus liberum transitum permittere teneatur, an aliquibus prohibere possit? Prudentissimos, de hac quaestione conseruantes, Doctores in duas partes diuisos video, alios adfirmantes, alios negantes. Qui adfirmant, Princepem teneri permittere liberum transitum, allegant (I.) L. 2. s. vlt. ff. ne quid in loco publ. vel itin. fiat. vbi per Edictum Praetor, quo minus illi Via publica itinereue publico ire, agere liceat, vim fieri vetat. Cui adstipulatur L. notab. n. C. de seruit. & aqua. qua Impp. Diocletianus & Maximianus Praefecto Aureliano rescriperunt hunc in modum, uti Via publica, neminem recte prohibere posse. (II) L. 17. ff. de seruit. ex qua constat, diuisis territoriis id actum, ut dominia, non vero ius transeundi, quod sua

sua natura individuum est, dividerentur. (III) aiunt: negotio libero transitu, totum destrui commercium. (IV) denegationem liberi transitus esse contra voluntatem Dei, quam ob causam adducunt auctoritatem facri codicis Numer. 21. v. 21. 22. 23. & Judic. 2. v. 19. vbi scilicet populus Israëliticus ad Sihonem Regem Ammoritorum nuncios miserat, rogatum, vt ipsi per suam terram permetteret liberum transitum; hac autem petitione repudiata, Regem a Deo graui adflictum fuisse poena, credentes. WESEN B. Conf. 33. n. 53. SCHURFF. Consil. 529. n. 7. CAEPOLL. de seruir. prae*d. rustic.* C. 3. n. 17. sepp. REICHENBACH. *Dissert. de regali viarum publicarum iure* ff. 9. quae inferta, quo quidem fato factum sit, nescio, Volumen. I. Dissertationum Illustr. Cocceii.

### §. XII.

Ad haec autem argumenta respondeo: (I) has leges Horum argumentorum refutatio  
latas esse priuatis, nullique priuato permisum esse, alium impeditre priuatum; qui autem id minus obseruat, contra illum datur actio iniuriarum, POMPONIVS L. 13. §. f. ff. de iniuriis. Praeterea autem haec regula firmo nititur fundamento: neminem sibi posse legem dare, a qua non iterum possit recedere; quin imo Princeps a legibus priuatorum est solitus: (II) L. 17. ff. de Seruit. loqui de Seruitutibus, & ab his ad vias publicas non valere consequentiam, contendeo. Seruitus enim constituitur, siue adquiritur, per pactum aut praescriptionem, aliquaque modis, pactum vero non praefumitur, & licet pactum ad sit tacitum, per illud tamen obligatus est Princeps subditis tantum suis concedere liberum transendum,

non

non vero exteris: (III.) posse quoque Principem innitrationibus politicis, quibus moueatur, vt subditis suis commercia cum exteris exercere prohibeat, quandoquidem insuper fieri potest, vt Principis regio omnibus rebus, quae ad usum necessarium subditorum, & conservandum statum spectant, abundet, nec opus habeat exterorum adiumento. (IV.) exemplum, quod ex S. Scriptura adferunt, plane nil probare. Nam Deus promiserat populo Israëlitico terram Canaan, itaque hic, illi mandato audiens, egrediebatur ex Aegypto. Sihon vero, Rex Amoritorum, transitum populo prohibens, seque parans ad bellum, vt armata manu illis resisteret, confligebatur, Iudei contra occupabant terram. Ratio igitur non propter denegatum transitum, sed propter bellum, quod illis annunciat, Sihonem ad internecionem usque prostratum, clara est, demonstratque, vehementer errare, & fallaciam caufae, vt caufae, committere eos, qui, quoniam Deus Sihonem ob denegatum transitum puniuerit, exemplum eius imitantibus similes illaturum esse poenas, sibi persuadent.

### §. XIII.

Negantim probations, ha-  
rumque refutatio,  
& quomo-  
do haec  
quaesito  
decidenda  
sit.

E contrario, qui negant, Principem posse teneri, vt liberum concedat transitum. MULLER. in Tr. de via publica & de iuribus eidem annexis, ibique cit. Autores, FELDEN in Not. ad Grot. de I. B. & P. L. II, C. 2. f. 13. has adferunt rationes probabiles, (1) si non prius es-  
set rogatus, adducto Mosis exemplo, de quo in anteced.  
§. dictum, sed, quid de hac ratione sentiendum, quilibet videt. (II) si metus iustus adesset, e. c. si exercitus trans-  
itum peteret, sed hanc quoque rationem patui pendere filo,

filo in proposito est. *Enim vero Princeps, qui huic exercitu denegat transitum, tanta pollet potentia, atque fortitudine, ut vim vi repellere possit, aut minus; si prius, per se patet, quod eum possit impedire, si autem posterius, contra vim mortis non est medicamen in horis. Quod ad me attinet, arbitror, eiusmodi casum vel plane non, vel raro, eueniare, vel si eueniat, quoad usus innoxios etiam valere dispositionem populi, vel quod idem est, Principis.* Sed an promiscua transitus denegatio cum regulis decori, honesti, iusti, prudentiae, officiis humanitatis, ad quae de iure nemo potest compelli, conueniat, alia est quaestio. Consentiant PVFFENDORFF de I. N. & G. L. III. C. 3. f. 5. ZIEGLER de I. M. L. II. C. 17. §. 19. B. THOMASIVS in Notis ad Huber. Praelect. ad Institut. De R. D. p. 76. excellent. DN. GVNDLINGIVS in Via ad Veritatem. f. iurisprudentia naturali Cap. VIII. §. 23.

## §. XIV.

Cum vero ita sit, quod omnia commercia, aliaque negotia, beneficio viarum publicarum, eo melius & maiori cum utilitate exerceri possint, eas autem Princeps munire, conseruare, securas reddere atque defendere debeat; fas sane est, ac aequitas suadet, ut hic a peregrinantibus, proportione rerum & personarum rite seruata, pedagia ac vestigalia exigat.

## §. XV.

Iure Romano pro solo transitu pedagii nomine aliquid exigere poterat, L. 21. ff. de Donat, inter vir. & lo An pro so-  
vxor. E contrario iure Saxon. viatores ab hoc one- aliquid ex-  
re praestantur immunes, per expressum textum Lands- igi possit?

D

Recht,

Recht, Lib. II. art. 27. Ein jeglich Mann soll auch zollfrei seyn, er fahre, reit oder gehe, & paulo post, und mit Recht sey er Geleitsfrey, wo er seinen Leib und Guth wagen will, hac tamen limitatione, nisi nauibus aut pontibus indigeat, wo er Schiffs oder Brücken nicht bedarf. Mores tamen pro diversitate locorum variant. Iudeaos in omnibus fere locis vestigial pendere oportere, inuenies, FRITSCH. de regal. viar. publ. iur. Cap. g. §. g. 10. n. idque solito plurimum maius, quo etiam referre licet das so genannte Personen-Geld, quae alibi locorum exigitur.

### §. XVI.

**Quantum,** Quod ad quotam, s. quantum, quod de mercibus praestatur, attinet, pro diversitate locorum etiam diuersimores & consuetudines sunt. Iur. Rom. erat octaua pars pretii, L. 7. C. de vestigial: Alia adhuc vestigialium generata apud Romanos in vlo fuisse, testatur HEINEC-CIVS in Antiqu. Iur. Rom. L. I. Adpend. p. 321. quae vel portorii, vel decumarum & scripturae, vel lalis, vel vicefimae nomine exigebantur. Oppressa vero per Principes Republica, multa noua inuenta sunt vestigalia, quibus locupletaretur aerarium.

### §. XVII.

**De personis, quae immunitate a vestigalibus gaudent.** Quarundam quoque personarum res gaudent immunitate vestigialium, nimirum Electorum, eorumque Legatorum, Capitulatione JOSEPHI art. 22. Desgleichen wollen wir auch diejenigen Stände, &c. quod confirmatur in Capit. nouiss. CAROL. VI. art. VIII. in fin. Nachdem auch die Willigkeit erfodert &c. ac reliquorum Statuum Imperii res, quas in proprios conuertunt usus SCHWE-DER. introd. ad Ius publ. Part. Spec. Sect. I. Cap. 20. §. 6. n. 3. Si

Si itaque non in proprios usus conuertunt, nulla immunitate gaudent. Idem ius eorum Legatis, ad comitia vniuersalia aut particularia euntibus, competere, testatur SCHWEDER d. l. n. 4. item Nobilibus immediatis, WEHNER Obs. Praet. voce Zoll, tollfrey; Clericis & ecclesiis Aurbent, item nulla communitas C. de Episc. & clericis. Professoribus, & studiosis, REBVFF. de Priuil. Studiosor. Priuil. 146. quod tamen ea lex desierit, docet praxis hodierna Academiarum. Atque in genere Principis voluntas derogatoria aequae, ac constitutiva, varia & fere ambulatoria est, praesertim, cum ciusmodi immunitatis privilegiis, utpote a legislatore concessis, aut mere gratuitis, pro labitu auram vitalem admire possit. Quod tamen difficilius procedere puto, si quis titulo oneroso exemptiones & immunitates sibi adquisuerit; tunc enim Princeps utitur iuribus & obligationibus priuatorum.

### §. XVIII.

Specialem casum obseruauit B. STRYKIVS in Vsu Specialis Mod. ad ff. de Public. & Vectigal. s. 12. ex Ordinatione Polit. castus ex Magdeburg. C. 5. s. 4. vbi Serenissimus legislator ex singulari clementia illis, qui propter sterilitatem ingens de- ordinat. Polit. Duc. Magdeb. trimentum perpessi sunt, vectigal remisit: Wenn zur Zeit des Miswachs-, oder wegen anderer Unglücks- Fälle, welche Gott verhüte, die Stände vor ihre Haushaltung, oder zur Besaamung der Felder in denen Städten, oder auf dem Lande, Geträdig erkauffen müssen, soll dasselbe ohne Zoll und Geleite der Obseruanz gemäß, und wie es jedes Ortes Herkommen ist, durchgelassen werden, dergleichen Befreyung auch die Bürger in denen Städten, und die Bauern aufn Dörffern, in solchen erweislichen grossen Miswachs- und

Ungärcks Fällen, außer dem aber nicht, geniesen mögen; Ebene Beschaffenheit soll es auch, der beständigen Obseruanz und Herkommen gemäß, mit dem haben, was sonst obbes meldte Stände vor ihre Haushaltung von andern Orten bringen lassen müssen.

## §. XIX.

Nullus Imperii Statutus, & ne quidem Imperator, potest noua vetigalia instituere, intuitu extororum, non vero subditorum.

Insuper nulli statui Imperii permisum est, noua vetigalia instituere, neque ea, quae antea fuere, adaugere, & qui hoc abutitur iure, illud amittere debet. Ita enim primum in Capitulatione IOSEPHI constitutum, atque in nouissima Capitulatione CAROLI VI. art. VIII. confirmatum, verb. Gestalten auch jeder Chur-Fürst, Fürst und Stand &c. & ne quidem Imperator, cuitamen foli olim in Republ. Romana hoc ius permisum, L. 10, pr. ff. de vetigal. L. 5. C. vetig. nou. inst. non poss. noua concedere potest, Capit. CAROL. VI. art. VIII. verb. Wir sollen und wollen auch insonderheit, dieweil die teutsche Nation und das Heil. Röm. Reich zu Wasser und Land zum höchsten damit beschweret, nun hinführo ic keinen Zoll von neuem geben, noch einige alte erhöhen, oder prorogiren lassen, auch vor uns selbst keinen aufrichten, oder prorogiren, es sey denn nicht allein mit aller und jeder Churfürsten Wissen und Willen, Zulassen, und collegial Rath, durch einhellenigen Schluss also in diesem Stück verfahren, daß keines Churfürsten Wiederrede oder dissens dagegen, und der gestalt alle und jede in dero Collegial-Stimmen einmuthig seyn, maassen dießfalls die maiora nicht zu attendiren, und ohne die vnanimia nichts zum Stande zu bringen, sondern auch die interessirte Benachbartheit, und derjenige Creyß, in welchem der neue Zoll aufgerichtet, oder ein alter erhöhet, prorogiret, oder perpetwir et werden will, darüber gehöret, deren

Veren darwieder habende Bebencken und Beschwerden gebührend erwogen, und nach befundener Billigkeit beobachtet worden. Quam tamen iuris territorialis restrictionem minime ad vectigalia, quae solis subditis imponuntur, extendi posse, regulae iustae interpretationis aequae, ac superioritatis Germanicae natura, satis evincunt. Verba enim Capit. CAROL. VI. de eo saltem casu accipienda sunt, si vectigalia exteros peregrinantes & negotiantes premant, ne commune illud consortium, quod inter Status Imperii firmissimo vinculo ligatum esse debet, in praeiudicium singulorum subditorum rumpatur & dissoluatur. Imo etiam, quoad proprios subditos nouis vectigalibus onerandos, reipublicae cuiusvis forma est consulenda. In quibusdam enim territoriis magna vis cooperans est statuum prouincialium, quorum contradictione interueniente, saepissime liberum Regalium exercitium temperatur. conf. SECKENDORFF.

Fürsten-Staat.

### §. XX.

Singulare quoddam est, quod potentissimus Borussiae Rex prae aliis Statibus Imperii, tanquam Elector Brandenburg speciali priuilegio, a Frederico III. Imp. anno 1456. concessio, gaudeat, vi cuius in suis territoriis & regionibus pro lubitu noua vectigalia instituere, & vetera augere potest, vid. SCHEPLITZ arcan. March. part. IV. Tit. 5. §. 3. RHETIVS in Institut. iur. publ. L. I. Tit. 6. §. 24. & T. 13. §. 4. PFEFFINGER in Vitrior. illustr. L. 3. Tit. 12. §. 45. lit. B.

### §. XXI.

Vnam adhuc quaestionem politicam mihi adiicere li-

D 3.

Res, de  
ceb:t.

quibus ve- cebit. Quod si Princeps ius haberet noua vectigalia ini-  
 citigial sol- uitur, sunt stituendi, aut vetera augendi, an, maiora si imponeret  
 vel impo- tributa, consultius, prudentiusque ageret? In casu ne-  
 tanda, cessitatis Principem & noua vectigalia posse introduce-  
 vel expor- tande, i) re, veteraque prorogare, nullum est dubium, sed de hoc  
 de impo- casu non est quaestio. Ad duo praecipue respiciendum  
 tandis, & esse arbitror: aut res, de quibus vectigal soluitur, sunt  
 quid sua- importandae, aut exportandae; atque importandae, quae  
 deat pru- huic vel illi desunt territorio, sunt vel necessariae, vel  
 denta in non necessariae, tamen viles, vel voluptuariae. De  
 imponen- necessariis, sine quibus subditi neque subsistere, neque  
 dis vecti- status conseruari possunt, praesertim iis, quae ad escu-  
 galibus. lenta & potulenta spectant, modicum vel nullum tribu-  
 tum petere, conuenit. Subditi enim, nimium graibus  
 presi tributis, si non penitus pereunt, maximum tamen  
 sentiunt incommodum. Vbi autem multa incommoda,  
 vitaque molesta, ibi desideria. Qui vero desiderat, do-  
 let, & per dolores corpus fit effoetum, spiritusque vitae  
 debiles atque infirmi. Vbi corpus effoetum & vitae  
 spiritus debiles, totalis tandem interitus & repentina  
 mors sequatur, necesse est. Quid autem profunt Prin-  
 cipi aegroti vel demortui? & quid est ille sine viuis?  
 Non necessarii vero, bene tamen utilibus, & ad com-  
 moditatem, externum splendorem, & amictum inpri-  
 mis corporis, pertinentibus, maiora omnino onera im-  
 ponni posse, quia e nimia commoditate proficiscitur ple-  
 rumque luxus, per se liquet. De voluptuariis quin tan-  
 ta exigi possint tributa, vt vix ac ne vix quidem emi que-  
 ant, meo quidem iudicio nihil est dubii. Vbi enim in  
 republica quotidie instituuntur comedationes, exstru-  
 ctiae

Eiae oiparis epulis mensae inueniuntur, perpetua regnat vinolentia, & membra eiusdem somno vinoque saepissime sunt defessa, nihil abest, quin inopinato pereat exitio. Hinc Principis est, ut hasce voluptates vel graui tributorum onere refrenare, ac penitus opprimere, sedulo studeat.

### §. XXII.

Ad exportandas quod attinet merces, aut iis exteriori carere possunt, aut necessario indigent, neque istas aliunde accipere queunt. Priori casu minora, posteriori casu maiora tributa esse postulanda, puto. Nunquam tamen non adhibenda est prudentia.

### §. XXIII.

Inter haec viarum publicarum iura maximopere eminet ius conducendi, quod, vt ex sacris dogmatibus sanitatis perspicue constat, antiquissimam suam originem debet institutis vetustissimarum gentium, Genes. 12. v. 20. ibi: *Aegyptiorum Rex militibus suis praecepit, vt Abramam una cum vxore Sara, rebusque suis omnibus, traducerent.* Huius, laude omnino digni, instituti cura omnibus ac singulis Principibus ac Statibus Imperii per specialem Constitutionem de Anno 1555. Nachdem aber ein jeder Churfürst &c. demandata est. Cum autem Principem deceat, vt omnia, quae ad utilitatem & conseruandum traditae sibi Reipublicae statum (quo merito ius conducendi referendum) curet diligenter atque obseruet, vel certis magistratibus, IV STIN. Nouell. 87. pr. qui suo nomine faciant, imponat, & praesertim, cum hodie communis consuetudo sit, vt a transuentibus vel iter facientibus vectigal hac de causa pendatur, hinc Principibus & Statibus

tibus Imperii in poenam negligentiae, si peregrinantibus in viis publicis aut damnum illatum, aut bona ablata fuerint, ut illa resarciant; onus impositum est, per Receff. Imperii de Ann. 1559. Damit denn die Obrigkeit; ibi sezen, ordinen und wollen wir, woferne von Churfürsten, Fürsten, und Ständen, oder einiger Obrigkeit, die sey, wer sie wolle, Jemand Geleit gegeben, und derjenige, darüber auf derselben Churfürsten, Fürsten, Stände oder Obrigkeit Geleits-Strassen thäglich ergriffen und beschädiget, daß der Stand, so solch Geleit gegeben, nach gestalt solches Geleits dem Beschädigten seines Schadens Erstattung zu thun schuldig seyn solle. OETTINGER de Iur. & Controv. Limit. L. 1. C. 9. n. 24. vbi scribit: Ferner wird zu der Land- Obrigkeit gerechnet, und unter die Regalien gehzlet, das Gleit und Gleitliche Obrigkeit, welche ist ein Hoher Gewalt und Gerechtsame: Da ein Fürst oder Herr auf steeper Käyserl. Heer- und Reichs-Strassen die Reisende mit bewährter Hand durch sein Land zu gleiten, und für feindlichen Angriff sicher zu führen hat, welche Gerechtigkeit doch auch nicht allezeit des Landes Obrigkeit anhänget, sondern offtmahlen davon abgesondert ist. Denn an vielen Orthen im teutschen Reich herkommen, daß einer in eines andern Herrn Gebiete und Landes- Obrigkeit zu gleiten, aber sonst keine Obrigkeitl. Gerechtsame darinnen ic. Zu welchem Ende die Gleit- Herrn zu Zeiten der Messe besondere Einspannige und Gleits- Reuter besorgen müssen, welche das Gleit- Bereiten, und denen Kauffleuthen, Sicherung der Strassen mit lebendigen Gleite verschaffen, daß sie ohne Gefahr reisen können. Hingegen müssen die Reisende von ihren Waaren den Zoll eilezen, und Gleit- Zeichen um ein genannt Geld einlösen. Quam difficilis autem sit actio,

quae

quae ab eo, qui damnum in via publica est passus, contra Principem conducentem instituitur, atque ad indemnitatē praestandam tendit, omnes norunt, qui in rerum argumentis veritatem vulgaris Brocardici: *Cum porcentioribus non est litigandum: sunt experti. TITIVS in Iur. Priuat. L. X, Tit. XI. §. 19.*

#### §. XXIV.

Hoc quoque silentio non est praetereundum, quod si nouis Rex, vel Imperator Romanor. eligitur, vnicuique Principi ac Statui Imperii, ad Electionem celebrandam eunti, vel ab hac Regalis numinis felicissima expeditione redeunti, et si conductum non petierit, per vias solitas securitas sit praestanda. *A V R. B V L L. C. 1. §. 4. quaestio. Quisquis insuper ex Princibus, Comitibus &c.*

#### §. XXV.

Tandem ad iura, Principi in viis publicis competen-  
tia, Jurisdicatio Germ. Straffen-Gerichte refertur. Re-  
gulariter autem soli Principi, si simul habet ius condu-  
cendi, & nisi alius, e. c. nobilis, illud per literas inue-  
stiturae, aut aliis Status Imperii per praescriptionem, vel  
quocunque alio modo, probare potest, criminum in viis  
publicis commissorum conuenit vindicatio. De cetero  
cum Jurisdicatio, vti alia iura, sit res infeudari solita, nul-  
lum est dubium, quin Princeps illa alium inuestire at-  
que infeudare queat.

#### §. XXVI.

Ex Historia, aliisque iuris publici scriptoribus, con-  
stat, non semper domino territorii, sed alii nonnun-  
quam Principi, per alterius territorium ius conducendi  
competere. Tales quidem possessiones sub titulo ser-  
vitu. E

Quando-  
que alter  
in alterius  
territorio  
gaudent iu-  
re condu-  
cendi.

uitutum Iuris publici exercentur, de quibus elegantissimus extat Tractatus, CHR. IOH. CONR. EN- GELBRECHTII. Exempla recitat REINKING de Regin. Saec. & Eccles. L. 1. Claff. V. C. 4. n. 835. 836. Et STRYK de Jure Princip. extra territorium Cap. I. n. 128. de Hassiae Landgrauis, quod ius conducendi habeant per Wetterauiam, it. de Electore Moguntino ad- ducit, quod & ille habeat ius conducendi per quendam districtum Darmstadinum, sive superiorum Comitatum Catimelibocensem, eoque in Hassiae Principum terri- torio vtatur. Quodsi itaque in via publica, vbi alter ius

Quaestio de iurisdi-  
ctione in-  
ter domi-  
num ter-  
ritori, &  
eum, qui  
exercec  
ius condu-  
cendi.  
cui sit cognitio? Dominus territorii inquit: Cui compe-  
tit territorium, illi quoque iurisdictio, & qui peccat in  
meae regionis finibus, ille a me punitur. Dominus autem  
conducendi ait: Qui tenetur laesis ad reparatio-  
nem damni, in via publica accepti, illius quoque est  
iurisdictio & cognitio. Ettu dices: Qui deprehendit delinquentem, habet quoque cognitionem, nisi per pactum  
aliud conuentum. En ergo tres diuersas opiniones! Quo  
autem res clarior reddatur, hic duo casus bene sunt sepa-  
randi atque distinguendi, an scil. commissum fit *bomicidium*  
*an furum*. Priori casu damnum, quod familia, vel ali-  
us, cuius interest, sentit, non potest quoad interesse pri-  
uatum, praelertim si delinquens summa premitur inno-  
pia, refundi ac resarciri; quoad interesse publicum, ille  
mortis poena pro qualitate circumstantiarum potest affi-  
ci, vel fustigari, vel tantum relegari. Cum vero ad sup-  
plicium exequendum magni requirantur sumptus, ab hoc  
incommmodo quilibet iudex sponte sua se liberabit. Po-  
sterio-

steriori autem casu saepius fieri solet, vt in confinibus pagis, vicis, vrbibus, res per furtum ablatae abscondantur, nec non a pessimis hominibus receptae occuluntur, sique Dominus conducendi ius habet eorum aedes visitandi, literas incarcerationis patentes (Stedt. Briefe) circa potinus emitendi, poslunt fures non adeo multis impensis capi, atque ablatae res suis dominis restitui. Hinc ut eo facilius omnes evitentur ambages, neque dominus conducendi, ad res per furtum spoliatas peregrinantibus alioqui resarcendas obstrictus, reddatur deterior, satius omnino est, praesertim in casu furti commissi, potius domino conducendi, quam territorii, ius cognoscendi relinquiri. Consentit COCCEIVS in *Jure publ.* Cap. 23. Sect. 2. §. 42. ibique cit. Aut. Neque me hic mouent aliorum adassertiones in contrarium, cum sane, quantum probabilitate coniectura assequebileet, distincte iuxta ipsorum perpetratorum delictorum internam indolem merito procedendum, ac difficultis haec quaestio dirimenda sit. Natura & diuersitas delictorum hac in re vtramque omnino facit paginam. Aliae distinctiones videri possunt apud MAVL. de *Iur. conducendi Tit. 50. n. 6.* qui a MYLERO in *Tr. de Principibus & Statibus Imp. Rom. Germ. P. II. Cap. LIX. §. 13.* allegatur. Ὡς ἐν παρόδῳ hic monendum, MYLERI d. l. adassertione, quae pro Iurisdictione, Domino conductus competente, militat, nimis esse generalem, imo nec satis idoneis rationibus suffultam. Leges enim ex Iur. Rom. quas probationis ergo adduxit, exceptioni fori incompetentis sunt obnoxiae, neque facile a leui nota μεταβάσεος εἰς ἄλλο γένος liberari possunt. Turpitudinis res est, veriantem in materia iuris publici, opinionis firmamenta ex Iure Ciuali accersere velle.

## §. XXVII.

**Onus refi-**  
**ciendi vias**  
**regulari-**  
**ter incum-**  
**bit Princi-**  
**pi.**

Incumbit quoque Principi, praesertim cum vesticigalia guidagia, pedagia, accipiat, ut vias reficiat, illasque ter incumtas, integras, sartas, munitas, ab omni impedimento liberas, conseruet. Conseruantur autem in primis viae in vrbibus, si quisquiliae, fordes, stercora, aliaeque impuritates, expurgantur, quo tendunt etiam Praetorum edita, quae descripta ac consignata reperiuntur in *L. Praetor ait. 2. §. 29. ff. ne quid in loco publico, itinereue fieri.* Sed quod haec omnia minus rite obseruentur, testantur exempla & morbi, hinc inde grassantes. Causa etiam, quam ob rem in hac, illaue, ciuitate tot tantaeque saeviant lues, ex physicis demonstrari potest, quia stercoris cadaverumque proiectione aer inficitur, hominesque attractione & inspiratione infecti aeris adfliguntur. STR YK in *Tr. de Iure Sensuum diff. de Olfactu C. 2. n. 8. 9.* Atque haec incommoditates vt euitarentur, iure Rom. aedilibus olim commendatum erat, *L. vn. §. 5. ff. de via publ. & si quid in ea factum esse dicat. ne permitterent stercora proiicere, morticina, aut pelles iacere conf. B. SCHWENDENDORFF. diff. de Conseruatione viae publ. Lips. 1691.*

## §. XXVIII.

**De con-**  
**seruandis**  
**viis publ.**  
**& actione**  
**contra**  
**Principem**  
**ad inde-**  
**mmitatem.**

Conseruantur porro vias publicae, si a nefariis hominibus atque praedonibus purgantur. Quodsi vero Princeps vias publicas a malis hominibus haud purgandas curavit, & iter facientium res a praedonibus furto ablatae, praesertim cum vesticigalia, pedagia, guidagia, Zollmilitare. Geleis und Wege-Geld accipiat (hoc enim ipso se obligat ad securitatem praestandam) eum dupli actione posse

posse conueniri, multis cum Doctoribus & meadfirmare oportet, (I.) ex quasi contractu. Commodum enim qui excepta pecunia sentit, ut is onus quoque persentiscat, necesse est. ROSENTHAL de Feud. Cap. 5. conclus. 22. liz. a. GAILIVS L. II. Obs. 64. n. seqq. (II.) ex quasi delicto; quia, ut vulgo dicere amant, negligens existit in inuestigandis & coercendis praedonibus & insidiatoribus. GROTIUS de I. B. & P. L. II. C. 17. §. 20. n. 1. & ZIEGLER. in Not. C. I. Cum tamen ipsi de iure incumbat, curare, ut prouincia malis purgetur hominibus, L. Praes. 3. & 4. ff. de offic. Pref. L. congruis 13. ff. eod. L. 2. ff. de offic. Rec. Prou. WESENNB. ad ff. Tit. de Public. & vectigal. n. 4. sed, neminem ultra vires obligari posse, cum dictamine rectae rationis legibusque conueniat L. 185. ff. de R. I. ita praemissa thesis hoc modo erit limitanda, (I.) si ob bellum, vel propter obfessiones itinerum, vulgo Wegelagerungen, BERLICH. Port. I. concl. 20. MEVIVS ad Ius Lubec. P. IV. T. 16. art. 2. vel nimiam praedonum multitudinem, viac publicae seruari nequeant, FRITSCH. Tr. de Reg. Jur. vior. publ. C. 12. n. 27. Atque si impossibilitas certo adpareat, a poena, ceterisque facti & iuris vinculis, exemptum esse, necessum est. (II.) si viatores per vias insolitas, & cum primis tempore intempestiuo plane inusitatas, relictis ordinariis & consuetis, iuerint, & illas quæsuerint. Sic enim Princeps a sua obligatio- ne prouersus liberatur, ZASIVS ad ff. de his, qui deiec. n. n. cum damnum, quod quis sua culpa sentit, sentire non videatur.

## §. XXIX.

Sulet quandoquidem accidere, ut subita inundatione, Quinam terrae motu, aut aliis fortuitis casibus, viac publicae ad viarum corruptantur, planeque deuastentur, & quaeritur, quis publica- rum ex- nam strucio-

niem operas praefastare, vel impenas dare, teneantur.

nam ad harum extirptionem operas praefastare, impensasque dare, teneantur? In iure ciuili neminem ab hac onere exceptum esse, reperimus L. 13. §. 6. ff. de Act. Emt. & ne quidem ecclesiis, L. 4. C. de Priuileg. dom. August. ibi: *Ad instructiones reparacionesque itinerum, pontium, nullum genus humanum, nullius dignitaris & venerationis meritis cefare oportet, & L. 7. C. de S. S. eccl. ibi. Ad instructiones itinerum, pontiumque, etiam diuinis domus, & venerabiles ecclesiias, tam laudabilis titulo libenter adscribimus; & confuetudine introductum est, vt subditi illius territorii operas, Frey-Dienste, Frohn-Dienste, praefestent, ZIEGLER de Iur. Mai. Libr. II. C. 17. §. 21. peregrini autem certam pecuniam contribuant.*

§. XXX.

*De consti-  
tuendis  
certis per-  
sonis con-  
seruanda-  
rum viarum  
publ. caufa.*

Cura viarum publicarum iure Rom. certis magistris concreta erat, hodie vero Principes certas personas, quae earum agant curas, constituant, qui passim vocantur Burg- Voigte. Atque hoc singulare est, quod MAXIMILIANVS I. Notariis publicis vias publicas curandas imposuerit; conf. VOLCKMANN. in *Manuali Aduocatorum & Notariorum P. I. Cap. IX.* Multa quoque ex vniuersiusque loci Ordinat. Polit. videri possunt, de quibus plura hic dicendi non est locus, sed haec pro instituti ratione sufficient. Tandem, ne per deuias viarum declinationes ad inferos ducamur, sumnum aeternumque Numen, vt viam rectam nobis conseruare, atque, vt ad hoc tempus usque, ita & in posterum quam clementissime demonstrare velit, instantissimis precibus supplex rogo. TE vero, B. LECTOR, rogatum volo, vt, sicubi calamus festinans titubauerit, viaque vera aberrauerit, illud mihi pro TVA humanitate, benevolentiaque, ignoscas.

SOLI DEO GLORIA.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
HVIVS DISSERTATIONIS  
AVCTORI

S. P. D.

PRAESES.

**Q**vanta ab annis academicis pendeat felicitas, siquidem iusta eorum per totum legitimum spatium habeatur ratio, non est, cur pluribus probetur. Quotidie exempla hoc demonstrant haud pauca. In duobus autem potissimum extremis peccari, animaduertimus. Aut enim nihil, aut aliud plane agendo, in Academiis viuentes, tempus suum transfigunt. Immo sunt multi, qui ab initio quidem ad scopum sibi praefixum omni cura spectare praetendunt, sed finis, qui tamen coronare debebat opus, edocet, quod isti tantum vii fuerint suo proposito vacare, reapse autem illud tenuerint nequaquam.

Tu

Tu autem, Nobilissime & Doctissime Vir, nihil minus, quam eius modi hominum tramitem, fui-  
sti secutus, quin potius ita coepisti, ita perrexi-  
sti, in Academiis versari, ut fieri non potuerit,  
quin optatus studii responderet exitus. Quo  
circa etiam Tibi, iter academicum feliciter emen-  
so, prius, quam cursum in patriam dirigis, differ-  
tationem *de iure viarum publicarum* sub mode-  
ramine meo habere, sique satis idoneum do-  
ctrinae Tuae specimen magno cum applausu ede-  
re, ut libuit, licuit. Iam nunc nihil reliquum  
est, quam ut Tibi, Nobilissime Domine, de via  
laborum academicorum optime peracta ex ani-  
mo gratuler, minime dubitans, Tibi conciliatu-  
rum Te Patronos ac Maeccenates, quorum fau-  
ore & benevolentia subleuatus, rei publicae ac fo-  
rensi ex animi sententia inferuire queas. Vale,  
&, Deo curriculi Tui duce, bonorum auxilio,  
ac propria virtute comite, ad ampliora conten-  
de. Scribebam Vittembergae d. 9. Aprilis

A. C. cccc xxix.

**ULB Halle**  
004 503 04X

3



TA → 0L  
01+R  
drin







Q. D. B. V.  
DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> JVRIDICA  
DE  
JV·RE  
V I A R V M  
PVBLICARVM  
QVAM  
P R A E S I D E  
GEBHARDO CHRISTIANO  
BASTINELLERO  
JCTO  
SAC. REG. MAJ. POLON. AC PRINC. ELECT. SAX.  
A CONSIL. AVLAE, CODICIS PROF. PVBL. CVRIAEC  
PROVINC. ET CONSIST. ECCLES. ELECTOR. SAX.  
SCABINATVS ET FACVLTATIS JVRID. ASSESSORE  
PATRONO ATQVE PRAECEPTORE AETATEM  
DEVENERANDO  
IN ILLVSTRIAD ALBIM ACADEMIA  
AD DIEM APRIL. M DCC XXIX.  
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBIICIT  
AVCTOR ET RESPONDENS  
GEORGIVS ERNESTVS HEIM  
HERMANSFELDA - HENNEBERG.  
WITTEBERGAE  
TYPIS GAEBÄERDTIAE VIDVAE.

